DE

FLUORE ALBO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXIX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLVII.

PUBLICE DEFENDET

Ioannes Wankell

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OSCAR ALBERS, cand. med. et chirurg.
IOSEPHUS ILTGEN, cand. med. et chirurg.
PETRUS REITZ, cand. med. et chirurg.

BONNAE
EX TYPOGRAPHIA C. KRUEGER.
MDCCCLVII.

PROOEMIUM.

Inter omnes dissertationis materias, quam iam dudum scribere mihi proposui, fluor albus qui dicitur maxime me tenuit; qui morbus maximam in statum corporis universalem mulierum vim habet, ut ea de caussa iam dissertatione dignus sit. Accedit, quod recentioribus temporibus huius morbi tractatio medicorum observationibus doctissimorum ita est promota, ut prorsus fere alia, ac veterum, dici possit. Cui morbo qui maximam operam dederunt atque tantos hoc in genere progressus fecerunt sunt professores doctissimi clarissimique Kilian et Naumann, praeceptores mihi dilectissimi, quos viros egregios discipulus in dissertatione scribenda libenter sequor. Maximam utilitatem humano generi hi viri attulerunt atque huius morbi tractationem prorsus fere aliam

fecerunt, quod illa discrimina, quae inter leucorrhoeam uterinam et vaginalem intercedunt, statuerunt. Iam in eo sum, ut dissertationem ipsam ingrediar et, etsi vires tantum sunt tenues et multi iam viri doctissimi eandem materiam tractarunt, investigationem meam tamen aliquid utilitatis praebituram spero, quare, si quid erramus, ut bona cum venia lectores accipiant, peto.

Cap. I.

NOMINA IN FLUOREM ALBUM ADHIBITA.

Multa et varia morbi, quem tractare mihi proposui, nomina apud scriptores et veteres et recentiores leguntur, quae ad morbum bene cognoscendum ante omnia memorare debent. Iam primi graecorum medici observationes de hoc morbo instituerunt et mucosam materiam, quae e genitalibus muliebribus effluit, „ῥοῦς λευκὸς sive ῥοῦς γυναικεῖος, Hippocrates simpliciter ῥοῦς, nominarunt; etiam τὰ λευκά“ in eorum scriptis legitur. Nonnulla nomina similitudine, quam inter fluorem album et menstruationem esse putabatur, explicari possunt, ut alba uteri purgamenta, menstrua alba, menses albi, fluores albi etc. In antiquioribus scriptis haec nomina non inusitata sunt: Fluxus matricis, fluor muliebris, profluvium muliebre, fluor uterinus, fluxus albarum humiditatum, fluxus uteri, ulcus uteri, lympha uterina, destillatio uteri, fluor s. Fluxus albus, coryza (κόρυζα) uteri, catarrhus et rheuma uteri, gonnorrhoea muliebris, blennorrhoea s. blennorrhagia uteri et vaginae. Recentiores auctores et haec nomina adhibuerunt: hysterorrhoca, colporrhoea, medorrhoea.

Nomina, quibus germani utebantur, conversiones sunt nominum modo dictorum vel similium, ut das Weisse, der Ausfluss, der Schleimfluss, der weisse Abgang, der Mutterfluss.

Cap. II.

FLUORIS ALBI DESCRIPTIO.

Fluor albus, morbus generis muliebris, est effluxus materiae modo tenuioris, modo spissioris, mucoso-sebaceae, diversi coloris; quae continue vel periodice effluit, et modo acrior, modo mitior fontem suum ex toto cavo utri et canali cervicis, ex folliculis mucosis vaginae et urethrae, nec non ex folliculis sebaceis clitoridis, nympharum et labiorum pudendorum habet. Fluor albus est secretio muci aucta et perversa partium supra nominatarum. Secretio aucta: scilicet, quod in statu naturali ad lubricandas hasce partes liquidum mucosum secerni solet, hoc morbo laborantibus maiori fit copia. Secretio perversa: materies enim, in statu sano secreta, non consistentiam mutat, quae omnia in hoc morbo locum habent. Hunc statum, quem etiam saepe in similibus morbis, ut in gonorrhoea, phtisi pituitosa etc. observamus, Morgagni agnovit et sic demonstrat: „Quid autem vetat, ut in ceteris videmus glandulis, ita in his quaque morbi vi pro eo muco materiam aliam separari modo albidam et crassiusculam, modo etiam aquosam?"

Vulgari fluori albo simillima est gonorrhoea muliebris, quamquam maiori irritatione topica est conspicua. Quem effluxum omnibus in casibus a vulgari fluore albo distingere difficile est. Sensim sensimque specificam suam naturam deponere et deinde vulgaris leucorrhoea perpetua facta perdurare potest. Per omne vitae tempus sexus sequior huic morbo obnoxius est, tam mulieres, quarum fluxus mensium

iam desivit, quam virgines, quae eo lunari tributo nondum gaudent, tam gravidae, quam a partu iam deliberatae. Ceteris paribus agrestes tamen minus, quam urbanae eum patiuntur. Praecipue vero mulieres in hunc morbum incidunt, quarum menstrua ob aetatem desierunt et virgines, quarum natura fluxum procreare nititur, nempe a duodecimo usque ad annum decimum octavum, et aliae, quarum fluxus menstruus turbatus est, quae voluptati deditae aut denique cachexia quadam affectae sunt. — Iam id quod, ut supra dixi, gravissimum mihi videtur, discrimina inter leucorrhoeam uterinam et leucorrhoeam vaginalem statuere conabor, primum afferens illius deinde huius affectionis signa.

Cap. III.

FLUOR ALBUS UTERI, LEUCORRHOEA UTERINA.

Prioribus temporibus, quum nondum discrimen inter uterum et vaginam statueretur, omnis secretio e genitalibus muliebribus ex utero proficiscens habebatur et nomen „fluxus uterinus,“ quocum morbosa secretio ex utero sive cruenta sive mucosa coniuncta erat, usque ad tempora recentiora remansit (*γυναικεῖος ῥοῦς ἐστι φορὰ ὑγρῶν δία μήτρας ἐπὶ πλείονα χρόνον ὑπὸ ἀποκρίσεως αὐτη γιγνόμενος.* Defin. med. Nro. 301.)

Leucorrhoea uterina saepe leucorrhoeae vaginali, quae infra tractanda est, se jungit, quacum interdum coniuncta

apparet. Ille effluxus mucosus qui crebro apud puellas ante prima catamenia observatur et qui non raro in amenorrhoea fluxus mensium loco apparet et denique, qui saepe decrepidationis tempore statim post menstruationem sistentem per aliquod tempus paulisper observari potest, verisimillime ex utero oriens est habendus. In omnibus casibus mucosa secretio uterina paullo ante menstruationem apparentem observatur idque eo modo, ut ille fluxus mucosus octo decemve dies ante eam incipiat, aliquod diebus ante vero copiosissime effluat usque eo, dum catameniis vere apparentibus plane desinit, ut proximis iis sistentibus iterum magis copiose effluere incipiat. Quae res e natura eo perniciosiorem vim in statum corporis universalem exserit, quo breviora spatia libera inter duos fluxus magis magisque fiunt, qui tandem in se transeunt, quo facto menstruatione naturam suam paullatim quin amittente perpetuum fluxum mucosum observare possumus. Fluxus gelatinosus, fibrosus, sic tenax est interdum, ut mucus longis filis extrahi possit; mucus tali plastica forma interdum in uteri cavo singulis magnis massis conglobatur, quae demum post aliquod tempus cum doloribus, quales apud parturientes adsunt, eiiciuntur. Aliis in casibus effluxus est tenuiter mucosus vel serosus, lacteus vel sanguini perdiluto similis. Quo in statu non raro, praesertim cum effluxus saepe haereat, symptomata tympanitis quae dicitur uteri apparent (Vergl. Naumann, Hdb. der Klinik. p. 120 ff.) — Quod ad colorem secreti muci attinet, distinguimus I. album, creberrime apud personas annosas apparentem II. subrubrum, praecipue apud virgines, III. subflavum, qui omni aetate adesse potest, IV. subnigrum, qui periculo pessimus habendus est. Color cum albus vel subflavus est, malum quidem per longum tempus permanet, sed minori periculo. Medium tenet color subruber.

Fricke diligentissimis observationibus et experimentis

cum uteri speculo institutis nitens tres formas primarias uteri blenorrhoeae distinguit atque describit, quas hic memorare suo loco esse puto: I. Fluxus subviridis, flavus, spissus puri similis. Quo in casu uteri orificium semper fere patet, labium eius anterius permultis in casibus excoriationes habet quae interdum in ulcera superficialia, in membrana mucosa coercita manentia, dolore libera, sed facillime sanguinem fundentia transeant, quae speciem languide subrubram habent. Vaginae membrana mucosa libera est ab excoriationibus, sed fortiter rubra, a qua etiam subflave viridis mucus specifice olens secernitur. Menstruatio omnibus in casibus legitima erat.

II. Fluxus albus, tenuis, serosus, colorem „aquae saturninae" habens. Quod liquidum ex uteri orificio subpatenti effluere cernitur; portio vaginalis est normalis coloris structuraeque; etiam vagina et irritatione et secretione exigue tantum afficitur. Pleraeque puellae publicae hac forma fluoris albi benigni laborant, quo praesenti menstruatio exigue tantum impeditur. Apud personas munditiae amantes hic fluxus mucosus facile observationem cum speculo institutam effugere potest; sin autem digito indice portionem vaginalem complecteris et tum digitum flexum sursum versum e vagina educis, mucosus effluxus statim eum sequitur, cuius in flexu apparet.

III. Mucus albus, tenacissimus, lentus, filia trahens circa et praecipue in subextenso uteri orificio apparens, qui tarde ex eo fluit. Uteri orificium saepe totum hoc muco expletur, qui difficile ex eo amoveri et forcipe captus longis filis extrahi potest. Color variatur e nigro, e flavo et subviridi usque ad subflavum, album, pellucidum. Portio vaginalis est plerumque sana, interdum tamen anterius uteri orificii labium est subtumidum, subrubrum, excoriationibus

praeditum. Raro tantum portio vaginalis in tactu est dolens, sed facillime sanguinem fundens. Saepe eodem tempore a membrana vaginae mucosa flavus, spissus mucus secernitur. Menstruatio nonnullis in casibus erat normalis, in aliis anormalis, vel plane deerat.

Cap. IV.

FLUOR ALBUS VAGINAE, LEUCORRHOEA VAGINALIS.

Si apud multas mulieres per totam aetatem ad generandum aptam secretionem mucosam auctam in vagina esse, quae tamen nunquam certum gradum transit, si viribus, non longum tempus durantibus, ut coitu persaepe brevi tempore concesso, illam secretionem mucosam in vagina in aliquot dies auctam esse, si denique idem symtoma per graviditatis tempus praecipue vero in altero eius dimidio, observamus, hic status morbosus esse non potest. Itaque ne accurate dici quidem potest, quando leucorrhoea revera status morbosus initium capiat et cunctorum symptomatum ratio est habenda, ne falsum efficiatur iudicium. Primum duae formae primariae leucorrhoeae vaginalis distingui possunt, prout brevi tempore apparet vel modo fere in observabili nascitur et hoc in casu plerumque iam longum tempus aderat, priusquam ab aegrota ipsa distinctius sentiebatur.

a) Prima forma initium capit a phaenominis generalis status catarrhalis, quamquam rarissime tantum febris vera observatur. Frigoris sensus oritur cum affectionibus rheuma-

ticis in membris, lassitudo, capitis dolor, appetitus edendi minutus. Calor cutis mox augetur, attamen aegrotae aliquod tempus frigoris externi impatientes manent et interdum frigus conqueruntur. Interea sensus graviditatis et oppressus in plevis regionibus sentitur, ibique calor auctas, rheuma oriens ab ossibus sacralibus usque ad crura se trahens, quibus cum phaenomenis irritationis verae vaginae membranae mucosae symptomata se iungunt. Quae arescit et sedes fit uredinis, quae interdum pungenter adstringens dolor fieri potest. Itaque plus vel minus symptomata colpitis incipientis adsunt (Vgl. Naumann Hdb. der Klinik. Tom. VIII, pars I. pag. 495). Exploratione membrana vaginae mucosa his in casibus, praecipue extraversus rubra, tumida reperitur, sed arida et maxime sensibilis. Quae sensibilitas interdum tanta est, ut et lenissima attactio non feratur et, ut Ricord dicit, evacuatio intestini recti magna cum molestia coniuncta esse possit. Facile et urethra irritatur, praesertim circa orificium ita ut disuriam observamus. Quae descripta phaenomena postquam ad summum aliquod dies perdurarunt, secretio incipit, quae apparente simul vera inflammatio impeditur. Mucus secretus initio est tenuis, dilutus, plerumque coloratus et paullatim, tenacior atque spissior fiens, flave viridentem colorem accipit. Secretione impedite procedente quantitateque magis magisque crescente, irritatus status membranae mucosae paullatim se remittit, tandemque prorsus desinit. Malum duobus vel tribus hebdomadibus finem facere, neglectum vero perpetum fieri, tum chronicus fluxus mucosus permanere potest.

c) Ut supra iam allatum est, haec forma paucissimos progressus faciens se explicat et ut per annos, nullam vim status corporis universalis exserens, perduret fieri potest; hoc tantum aegrotas saepe, praesertim longum tempus stantes euntesque, oppressus graviditatisque sensum, quem in pelvi

sentiant, conqueri memorandum est. Secretio saepe per annos mediocris esse solet; est odore carens, mucoso-gelatinosa, nonnunquam fortior, deinde rursus multo paucior fieri amat. Interdum etiam evenit, ut secretio copiosissima fiat, quo in casu mala vis in statum corporis universalem exseritur. Secretio ipsa iniucundum putridum odorem habet, colorem vere flavę viridem, subfuscum, interdum subnigrum. Mucus vaginalis est, ut ex variis observationibus experimentisque elucet, efficitur omni tempore acidus, verisimile acidum phosphoricum et acidum lacticum continens. Menstrualis sanguis, ut omnis sanguis, alcalicus, muco vaginali copiose accedente, ita mutari potest, ut proprietates coagulandi perdat. Qua in forma blenorrhoeae canalis vaginalis omnino tantum exigue est sensibilis. Membrana mucosa speciem habet pallentem, mollis laxaque, sed malo longum tempus durante, semper fere tactu granulosa et granosa est.

Cap. V.

SYMPTOMATA AD STATUM UNIVERSALEM ET ALIAS CORPORIS PARTES PERTINENTIA.

Leucorrhoea et vaginalis et uterina, ut supra iam dictum est, si graviter indicit et longum tempus perdurat, vim maxime morbosam status corporis universalis exserunt, quamquam negari non potest, leucorrhoeam vaginalem sine ulla vi perniciosa longissime manere posse, etsi et haec cum ingenti secretione gravium affectionum morbosarum, ut prolapsus vaginae vel uteri caussam praebere potest. Summa leucorrhoeae symptomata brevi afferam. Fluxus mensium

est anormalis vel tenuis et cum magnis doloribus coniunctus vel plane conturbatus; aegrotae maximam debilitatem conqueruntur, magna turbatio sensus communis observatur, fastidium omnium rerum, cibi et non libenter sumuntur et non recte concoquuntur; color est pallens, musculi atque mammae non amplius turgescunt, symptomata hysterica existunt, leves convulsiones, noctu spasmi in suris sentiuntur. Non raro praeter mucum etiam pus, sanguine commixtum, secernitur, cuius odor est gravissimus. Genitalia exteriora doloribus afficiuntur; labia pudenda maiora tumescunt, secretio urinae est dolens; urethrae orificium tumescere incipit, quin etiam, quamquam rarissime evenit, secretio mucosa urocystitis adesse potest. superficies interna femorum fit ulcerata, qua re graviter ac dolenter itur. Prolapsus uteri, ut supra dictum, apparere potest, ut uteri orificium usque in vaginae introitum procedat.

Inversio seu retroversio uteri perrare reperitur. Denique fluorem album inveteratum polyporum, qui ruborum idaeorum instar ex uteri orificio eminent, et fungorum et scirrhorum caussam praebere neque minus abortui partuique praematuro favere et multis in casibus sterilitatem sequi, memorandnm est. —

Adhuc de fluore albo benigno locutus sum; priusquam strictim describam fluorem album malignum, casum illi leucorrhoeae formae respondentem, quem in hoc clinico medico observavi, brevi enarrabo.

M. H. viginti et octo annorum, L . . . . . ; parentes adhuc vivere ac bona uti valetudine dicit. Consanguineorum plures ex glandulis tumefactis laborarunt. Aegrota ipsa infans eruptionem quandam in capite habuit, postea glandulae in latere colli sinistro intumuerunt ac cutem perfo-

rarunt. Decem et octo annos nata menses apparuerunt, copioseque fluxerunt. Anno vero aetatis vicesimo et tertio chlorosi est affecta, quam haec symptomata sequuntur: palpitationes cordis, lassitudo in extremitatibus, calor atque dolores in capite, calores fugaces et sudores cutis; praeterea menses aut plane cessarunt aut exigue et irregulariter fluxerunt. Hic morbus per quinque annos eam ita vexaverat, ut quotannis primis veris mensibus eam corriperet correptamque mense Augusti relinqueret. Notandum est, dum aegrota morbo isto affecta esset, nonnunquam parvam quantitatem muci albi flavescentis simul cum alvi solutionibus ex vagina defluxisse. Sub finem mensis Augusti anni praetereuntis rebus Veneris fructam nullam quidem in genitalibus affectionem se sensisse contendit, sed brevi post menstruationem tempore animadvertit, mucum illum maiore quantitate et continue effluere; ex quo tempore usque ad hunc diem fluxus ille mucosus perdurabat, nullam ei unquam molestiam ferens, quam, si multum ambulando esset defatigata una cum sensatione quadam tensionis aut plenitudinis in genitalibus sese habuisse dicit. Graviditate sine ullis phaenominibus insolitis praetereunte, partum edidit ante unum mensem in clinico obstetricio Bonnensi. Undecim diebus post partum domum rediit. Sed paullo post propter fluxum illum mucosum in hoc clinico medico recipi coacta est.

Status praesens. Aegrota, statura satis excelsa, constitutione valde torpida, animo haud alacri. Ex pectore diligenter explorato nullam capit molestiam. Abdomen pressu paullulum dolorificum praecipue in regione iliaca dextra et sinistra et pubica; dolores in coxis et femoribus. In genitalibus nonnullae fuscae conspiciuntur, ubi antea excoriationes adfuisse mihi videntur. In membrana mucosa introitus vaginae excrescentiae nonnullae planae adsunt. Vagina secernit fluorem mucosum subviridem. Eodem modo ex uteri

cavo effluit mucus filiformis, alcalinae reactionis. In circuitu orificii uteri externi permultae granulae conspiciuntur, ruberrimae, excoriatae, leviter sanguinem fundentes.

Diagnosis. Ex vitae historia et ex phaenominibus modo dictis satis elucet, eam formam leucorrhoeae uterinae et vaginalis adesse, cuius primaria caussa est scrophulosis; benigna igitur ista leucorrhoea nominanda est.

Prognosis mihi haud bona dicenda esse videtur, quod malum iam dudum chronicum eoque difficillimum ad medendum factum est.

Therapia. Ad usum internum ordinata remedia antiscrophulosa: praecipue ferri et iodi praeparata ad usum externum praecipue ad mucum copiosum ex vagina abluendum primum iniectiones cum aqua calcis et atqua chamomillae, postea vero cum solutione argent. nitrici (argent. nitr. gr. III. aq. destill. ℥ I.) institutae sunt. Post unum mensem aegrota sanata dimissa est.

Cap. VI.

FLUOR ALBUS MALIGNUS (GONORRHOEA MULIEBRIS, FLUOR ALBUS VIRULENTUS, VENEREUS, SIPHILITICUS).

Difficile est, gonorrhoeam muliebrem a leucorrhoea distinguere et, quamquam prima forma persaepe reperitur, tamen multo saepius, quam rectum est, sumitur. Si apud puellas publicas, ut exemplum addam, blenorrhoeam plerumque eodem tempore ex utero et vagina cum superficialibus pallide subrubris excoriationibus in labiis

pudendis et introitu vaginae coniunctum observamus, sane hic fluxus mucosus minima syphilidis forma habendus esse videtur, sed parum tantum opportunus est ad corpora inficienda et poscit naturam aptam. Ille per multas gradationes, quae certe definiri nequeunt, in gonorrhoeam propriam transit, quae omnino corpora inficit et ut gonorrhoea virilis ad metastases malaque sequentia opportuna est. Plerumque gonorrhoea muliebris hoc modo se habet: Multis in casibus initio rubor observatur et levis tumescentia superficiei internae labiorum pudendorum, praecipue vero nympharum. Saepe commissura superior, clitoris eiusque loca circum iacentia, praecipue urethrae orificium, plurime rubore affecta sunt; in aliis casibus irritatio potissimum in commissuram inferiorem in unum se contrahit. Cui coniunctus est sensus pruriens et ardens, tensio, calor aucta, persaepe etiam disuria observatur. Mox copiosa muci secretio incipit, dum irritatio super interiorem superficiem canalis vaginalis longius se extendit, qui tactu granoso est. Materia effluens est viriditer vel cane flava et saepe magna copia apparere potest. Maculae, in linteis effluxu relictae, quae praecipue in interna parte indusii observamus, initio plerumque sunt subvirides, tum subcanae, cum fuscis marginibus. Secretio omnino est constans, magis aequabilis ac in vulgari fluore albo. Mucus mox iniucundum odorem efficiens, tam acer atque edax fieri potest, ut externa genitalia et internae superficies crurum excoriationibus, etiam ulceribus afficiantur, quibus dolores vehementer ardentes efficiuntur, qui ad uterum, intestinum rectum, urocystim progrediuntur. Fluor mucosus gonorrhoicus non raro post aliquod tempus naturam specificam sponte deponit et gonnorrhoea secundaria permanet, quae paullo tantum a vulgari fluore albo differt.

Ricord quatuor formas gonorrhoeae muliebris distinguit,

prout scilicet urethra, vulva, vagina vel uterus propria secretionis morbosae sedes est. Sed perraro, ut puto, una harum affectionum sola apparet.

Medicus ille aliquoties inflammationem erysipilatosam membranae urethro-genitalium mucosae observabat, quo in casu secretio vel postea incipiebat vel prorsus evanuit. Si secretio morbosa apparebat, membrana mucosa plerumque erat tactu granoso, folliculis mucosis eminentibus. Secretio acute progrediens initio plerumque est serosa, postea vero magis purulenta fit, impellucida, cano flava vel subviridis interdum sanguinea vel lactea, dilapso caseo similis.

Sequatur illi leucorrhoeae formae casus respondens, quem in hoc clinico medico observavi.

C. B. vigenti annorum, S....., tempore novissimo ancillae servitia praestans Bonnae. Parentes ante annos septem et decem sunt mortui; morbi vero, quibus occubuerint non indicari possunt. Fratrem, quem habuit, unum florida vitae aetate tristi fato sibi ereptum plangit. Sorores autem duas optima valetudine uti contendit. Duo circiter annos nata variolis laboravit, quarum vestigia levia adhuc in facie observantur. Decem et septem annos natae primi menses acciderunt, tam benigni, ut nunquam neque, dum aderant, neque ante hoc tempus ulla molestia doluerit. Ita omni morbo carens vitam producit illa usque ad mensem Maii vicesimi aetatis anni. Tum primum fluorem quemdam album e vagina destillantem animadvertit, neque non ulcera quaedam parva interiori femorum superiorum parti inserta. Quam ad rem quod attineat, arctam cum milite in hac urbe consuetudinem neque accusare neque excusare potuit. Rei igitur incerta optimum esse consilium putabat, clinicum nostrum medicum adoriri, quo etiam recepta est.

Status praesens. Aegrota robusto corpore, speciem sanitatis praebens. Perpetuo e vagina fluore factum est, ut femora interiora in superiore parte saucii quidam rubrumque colorem adspectui praebeant. Digitum circiter sub commissuram inferiorem interiorum femoris partium ulcera duo apparent, color circum ruber et cupreus. Ulcera ipsa marginem exacte decisum ostendunt, qui nonnullis locis dentatus est. Fundus ulcerum massa quadam, lardo simili obtegitur. Etiam in interiore parte vaginae introitus ulcus reperio, quod non tam certa characterismata praebet. Vagina ipsa speculi ope examinata nihil ulcerum habet. Haec vero tota muco obtecta erat, seroso, foetidum olenti.

Addendum, quod loci sub ulceribus ipsis non praebebant indurationem.

Diagnosis. Ex anamnesi et symptomatibus modo dictis satis elucet, aegrotam ea leucorrhoeae vaginalis forma laborare, cuius caussa primaria est materia contagiosa, et hic quidem, syphilitica; maligna igitur haec leucorrhoea dicenda est una cum ulceribus syphiliticis.

Prognosin hoc casu faustam constituo, quia leucorrhoea nondum inveterata est neque ulcera habent indurationem.

Therapia. Ut totus apparatus sexualis et quae sunt inferiores partes purgarentur, aegrota balneo corporis universi lavatur.

Ad usum internum ordinatum: hydrarg. bichlorat. corrosiv.; haec est formula:

℞ Hydrargyri bichlorat. corros. gr. X.
Spirit. vini q. s. ad solution.
Opii puri gr. X.
Succi liquirit.
Pulv. rad. liquir. aa ℥Iß.
M. F. massa, ex qua forment. pil. N. 100.

Quarum pilularum per quinque dies et mane et sub vesperam unam hausit aegrota, deinde ascensum est, donec ab illa quaternae pilulae per diem totum consumebantur.

Per binos seu ternos dies tota vagina argento nitrico substantia quidem exusta est, ulcera syphilitica ipsa eodem modo tractabantur. Quotidie aegrota accepit decoctum ex speciebus lignorum. Ab initio mensis Iunii hydrargyri dosin rursus diminuimus eodem modo, quo eam secundum medicorum nostrorum usum auxeramus. Ita fit, ut die septimo h. m. sumptum extimum hausierit. Iam cicatricibus prorsus obducta sunt ulcera, in quibus substantiae ammissionem paene non animadverteris; fluor albus plane sanatur. Rerum status universus talis est, ut eam restitutam et integram dimittere potuimus.

Cap. VII.

AETIOLOGIA.

Nunc caussas huius morbi enumerare conabor, locans eas in diversas classes. Omnes caussae in duo classes reduci possunt. Prima classis omnes debilitatem afferentes caussas et secunda eas, quae irritando morbum producunt, continebit. Primae classis caussae aut totum corpus aut genitalia solum debilitando fluorem album promovent. Recte otiosum et sedentarium vitae genus immodicusque somni usus, caussa debilitatis et sic etiam fluoris albi nominari potest. Omnibus satis cognitum est, quod post iusto longiorem somnum corpus fit segne et laxum, in casu opposito autem vigiliae longius productae idem possunt caussare

vitium. Quod etiam eo probatur, quod rusticae, vitam laboriosam agentes ideoque parum tantum temporis somno dantes, fluore albo minus sint expositae, quam urbanae maxime otiosae. Abusus remediorum purgantium, diureticorum, abortivorum, quod ad morbum nostrum attinet, malam vim exserere potest.

Sic etiam abusus calidarum potionum et mucilaginosorum, coffeae et theae usus fluorem album gignit, dum hae res fibras laxiores faciunt et ventriculum ac digestionem debilitant. Eundem effectum in tonum fibrarum habet usus carbonum ignearum suppositarum et abusus balneorum calidorum. Violenta placentae solutio, partus graviores et multi abortus, dum topicam uteri debilitatem faciunt, inter caussas fluoris albi enumerari possunt. Sicuti animi affectiones magnam in corpus habent efficaciam, sic praecipue moestitia, dum corpus relaxat viresque supprimit, caussa huius morbi fit. — Nunc secundae classis caussas enumarabo, quae irritando fluorem album promovere possunt. Sicut ex suppressione mensium et haemorrhoidum tussis haemoptisis, abscessus, phthisis, hydrops, etc. oriri possunt, ita etiam fluor albus inde sequitur. — Materiam arthriticam, rheumaticam, exanthematicam lacteam, scorbuticam, syphiliticam et scrophulosam fluorem album efficere posse, id plurium scriptorum experientia probari potest. Hic etiam status verminosus adnumerandus est. In hanc classem denique vitia topica uteri ac vaginae ponenda sunt: obstructiones, tubercula, tumores cystici et polypi, qui comprimendo et tendendo hasce partes affectant et fluorem album procreant.

Nosogenia. Si iam Aretaeus, sagax ille observator, leucorrhoeam catarrhum uteri (ἔστι δὲ τῆς ὑστέρης ψύξις) esse dicit et adiunxit, stomachum eodem modo in morbum incidere posse, quo in casu vomitus mucosus sequeretur et intestina huic effectui esse subiecta, dum diarrhoea existeret

(*τήν δε τὴν πάθην καί στόμαχος νοσέει καὶ ἐμέει φρέγμα ἀτρὰς καὶ ἔντερα ὁμοίην ἴσχει εὖτε τὴν διάῤῥοιαν νοσέει.* De caus. et sign. diuturn. lib. II. Cap. 11.) haec opinio multo rectior est, quam multorum scriptorum posteriorum, qui identidem tantum aberrarunt, ut leucorrhoeam etiam muliebris spermatis, quod existere non potest, fluxum haberent (Krombholz Diss. sistens examen seminis muliebris Ien. 1784). —

Multo rectius Morgagni fluorem album uteri catarrhum descripsit (ipse autem uterus sui fons multi coloris aut simplicis aut purulenti. Hoc vere defluit ex utero aut vagina exulceratis. Illud ex utero fere, cuius aut intima membrana non secus atque illa narium in coryza rheumate quodam afficiatur, aut ora vasculorum, post emissum menstruum sanguinem se hactenus contrahant, ut sanguini quidem exitum eius autem sero non intercludant, quod ut alio in aliis colore infectum est, ita in omnibus non eodem colore fluorem facit. Epist. XLVII. Nro. 11. Praecipuam secretionis morbosae sedem Morgagni glandulas mucosas in uteri cervice sitas habuit. Quod ad me pertinet, plurimorum opinioni scriptorum recentiorum consentio, ex qua morbus aut cachexia quadem aut irritatione vel directa vel indirecta oritur.

Diagnosis. Difficile est, ut iam supra dictum ad iudicandum una ex parte, utrum leucorrhoea vaginalis, an uterinalis, altera ex parte, utrum in utroque casu fluor albus insons seu venereus adsit, necne. Ante omnia tamen, medicum eum ad finem perfectam explorationem et uterinalem et vaginalem instituere necesse est, qua in re praeter explorationem digitalem usum speculi vaginae (Kilian commendat speculum Segalas d'Etchepare) certissimam cognitionem paraturum animadvertet. Si praeter eius usum etiam microscopio utetur, diligentissimeque singula phaenomena symptomataque supra copiose allata, exquiret, certe aliqua

cum veresimilitudine secretio mucosa ne ex vagina an ex utero veniat, iudicari poterit. Kiliano auctore in muco vaginali, microscopio inquisito, magna corpora mucosa et magna fragmentorum epithelialium copia reperiuntur, quae muco uterinali nulla fere intersunt. Quod ad discrimen inter fluorem album insontem et venereum attinet, satis copiose supra allatum est.

Prognosis. Quod attinet prognosin huius morbi, praecipue ad aegrotarum aetatem, constitutionem corporis, durationem morbi eiusque caussas, quae plus minusve inveteratae et pertinaces esse possunt, respicere debemus; tum indagandum, num recens, num inveteratus sit, num continue materies effluat, num certas periodos teneat, num modice, num copiose fluat? Plures scriptores uno ore confirmant, hunc morbum in vetulis prope incurabilem esse et non nisi morte finiri. Respectu corporis constitutionem Klein haecce verba edidit: „Si cachexia adest et malum inveteratum, facile atrophia, tabes, sterilitas, scirrhus, cancer uteri, excrescentiae in vagina, oedema, hydrops, prolapsus et abortus hinc fluunt.“ Cura fit perdifficilis, si systema nervorum magnopere iam est conturbatum. Si copiosus et puriformis fluor albus mucosus subinde vehementem (tempore graviditatis non apparentem) metrorrhagiam sequitur, valde metuendum est, ne symptoma ingentis, iam orientis morbi uteri sit habendum. Suppressam vel repente desinentem leucorrhoeam inveteratam saepe multa phaenomena perniciosa, etiam periculosa sequuntur. Huc pertinent genitalium morbi organici, pertinaces efflorescentiae cutaneae, morbi nervosi, etiam cordis affectiones, pulmonum, cerebri etc., quae febribus et magna nervorum systematis affectione, convulsionibus cognoscuntur. Schoenlein leucorrhoea suppressa remediis adstringentibus veram bronchitem malignam nasci posse dicit (cf. lect. tom. II. P. 271).

Cap. VIII.

THERAPIA.

Curam huius morbi et generalem et specificam esse dico. Quod ad illam tractationem pertinet, duae praecipue indicationes occurrunt, scilicet evacuatio irritamenti seu materiae morbificae et roboratio totius corporis, seu praesertim genitalium. Indicatione roborandi non nimis urgente, primum nobis officium est, irritamentum quaerere et removere. Quam varia denique materies morbifica est, tam varium nobis praebendum est auxilium. Si caussam fluxus mensium suppressi agnoscas, huic vitio remedia convenientia adhibere debes, quae modo sunt roborantia, modo resolventia, modo antispasmodica. Ex relatione aegrotarum forsan anomaliam haemorrhoidalem caussam fluoris albi esse videbis, in qua praesumptione te praesentia huic affectui consueta symptomata certiorem facere possunt. Si tibi nullum dubium restat, nec adest tibi remedium, dispositionem haemorrhoidalem removendi, remedia, fluxum haemorrhoidalem provocantia, applicanda sunt. Si fluor albus e materia arthritica, rheumatica, exanthematica, syphilitica etc. oritur, quod partim ex symptomatibus praesentibus patebit, tum hae caussae per remedia cuique harum convenientia, removendae sunt. Quae ad caussam scorbuticam ac scrofulosam respiciunt in illa, omnia remedia antiscorbutica, in hac vero, omnia antiscrophulosa conveniunt. Laborantes simul dolore capitis, lingua impura, sensu graviditatis ac tensionis praecordiorum, urina iumentosa, pulsu parvo et fre-

quenti, remedia resolventia et evacuantia iuvant, posteaque roborantia, quibus interdum status corporis debilis eget. Plerumque purgantia minus valent, quam emetica, et tantum e purgantibus ea danda sunt, quae corpus non debilitant, haec sunt: Calomel, rheum etc.

Etiam anthelminthicis fluor albus curari potest, cum interdum e verminibus originem ducat. Quod attinet ad vitia localia uteri ac vaginae, non facile iis cura radicalis instituenda est. Polypos uteri forsan per ligaturam removere et prolapsum reponere possumus, sed scirrhi, tubercula atque ulcera uteri curam mitigatoriam requirunt, quam infra tractaturus sum. Si fluor albus ab impuritatibus genitalium oritur nullo alio modo sanatur nisi lotionibus et iniectionibus.

Nunc pervenio ad indicationem secundam: tonum fibrarnm iam ante morbum seu per effluxum muci amissum restaurandi.

Antequam vero hanc curam incipimus, caussae debilitantes removendae sunt. His peractis saepe statum pituitosum cum laxitate fibrarum coniunctum observamus; hunc remediis mucum solventibus: sale ammoniaco, tartaro solubili et antimonii praeparatis, quibus emetica interponenda sunt removeamus necesse est. Adhibitis istis remediis per aliquod tempus cum effectu, amara resolventibus admixta et posthac denique roborantia tantum adhibenda sunt. Optima, quae hic conveniunt, remedia sunt: pulv. rad. rhei seu huius extractum parva dosi, rad. rubiae tinctorum, gentianae rubrae, lignum quassiae, campechiense in decocto cum aqua calcis, cortex chinae, fructus aurantiorum, catechu, alumen, ferri praeparata et acida mineralia.

Cum his internis remediis externa roborantia coniungere debemus. Itaque frictiones, balnea frigida caute adhibita et iniectiones decocti cort. peruviani, simarubae, cum vino seu aqua calcis et solutione plumbi acetici conveniunt.

Ad efficaciorem effectum supra relatorum remediorum aegrota est admonenda, ut vitam roborantem agat, ea de re se frequentur ac modice moveat, sicco et frigido aëre fruatur, cibos siccos, qui facile concoqui possunt, bonam cerevisiam seu vinum sumet et ante omnia vitam debilitantem omnino evitet.

Iam pervenio ad curam specificam:

Vetus vulgi remedium leucorrhoeae est lamium album, quod frequenter cum magnesia vel rheo coniungitur, vel cum herbis aromaticis thea accipitur. Sundelin usum magnesiae cum rheo laudat; Haase praecipue, ubi fluor albus cum affectionibus herpeticis cohaerere videbatur, perpetuum usum decoct. Herb. iaceae (Samml. auserles. Abhandl. tom VIII p. 338). Monteaux hoc in casu vesicatiorium perpetuum in internam crurum superficiem applicandam dicit. Musculorum atonia ac remissione remedia aromatico-amara et tonica digna sunt, quae adhibeantur. Speer iis aegrotis cum effectu decoctum aquoso-vinosum cortic. Simarubae dedit (Samml. auserles. Abhandl. tom. XI p. 261). Tompson infusum chinae cum vino rubro, pervices aquam Pirmontii bibendam praescribit, quomodo quatuor sexve hebdomadibus sanationem effecit. Samml. auserles. Abhandl. tom. III. p. 13). Praeter quod remedium quassia, gentiana, ratanhia trifolium fibrinum, calamus laudantur. Sicut eodem tempore ferri usus. In leucorrhoea prorsus inveterata Tormey cum tonicis aromaticisque remediis ferrum, etiam alumen coniungebat (alum., ammon. hydrochlorat. ferrat., pulv. aromat., extract. cortic. peruvian. frigide parat. singul. ʒβ, ol cinnam. aeth. gtt 12 M. f. pilul. pond. grII consperg. cinnam- D. in vitr. S. Morgens und Abds. 5—10 Pillen zuzunehmen). Irritationibus absentibus et haec remedia adhibebantur: Myrrha, terebinthina, balsam. copaivae cum alumine, aloë etc.; quin etiam cantharid. (cf. Richter, chirurg. bibl.

tom. IX p. 647). Balsamum copaivae tris quaterve per diem viginti sexagintave guttis praescribitur, vino commixtis, quibus, si stomachus balsamum concoquere nequit, decem vigintive guttae tinctur. aromatico-acidae adduntur. Cless magna cum utilitate cubebas una duabusve drachmis per diem dedit. Kilian cubebas cum balsamo copaivae coniungendas praescribit, hoc fere modo:

℞: Ol. copaiv. aeth. ʒIβ
pulv. cubebar. ℥I
Pulv. gumm. kino ʒIII.
pulv. ferr. sulfur. ʒI
Pul. cinnam. ℈II
M. D. S.

3—4 mal täglich einen Theelöffel voll zu zunehmen.

In iis casibus, quibus balsam. copaiv. et cubeb. frustra adhibebantur, Graham excellenti cum effectu pilul e zinco sulfur. et oleo terbinth. dedit, ita ut tris singulis diebus tria grana zinc. sulfur. acciperentur, quae dosis paulatim duplicari potest; una vel duabus hebdomadibus praeterlapsis plerumque aegrotarum conditio multo melior fiebat (Edinb. med. and surg. Journ. 1827 Nro 88 p. 105. Hinze, iniectiones prorsus inprobans, in casibus inveteratis ferrum sulfuricum et extract. gentianae in pilulas ficta adhibenda et genitalia mane et vespere aqua minerali, ferrum continenti lavanda praescribit (Wochenschrift für d. ges. Heilk. 1832, Nro 2). Berends in iisdem casibus extractum vel tincturam aconiti dosibus caute crescentibus, laudat. Button Dublinensis colchicum, sapone in pilulas fictum commendavit, tris singulis diebus, tribus paullatim quinque granis. Efficacissime Battoni secal. cornutum adhibuit, cuius usus in omni morbi forma probatus apparebat (dat decoct. secal. cornuti

e ʒI; par. ℥VIII per duos dies consumendum, Revue de med. 1831. Juin. p. 459). Recentiori tempore crebro iodi praeparata et ad iuternum et exteriorem usum adhibebantur Interior eius usus maximam cautelam poscit. Mueller in casu quodam pertinacissimo mane vesperique ungt. kali hydroiodic. in internas crurum superficies inficiendum praescri bit, qua re sanationem effecit quatuor hebdomadibus (Wochenschrift f. d. ges. Heilk. 1836 N. 40). Iodum ferro coniunctum maxime dignum st, quod non negligatur. Pierquin ferrum hydriodatum in formis diversissimis adhibitum magnopere ad leucorrhoeam delendam commendavit. Quod ad externum argenti nitrici usum attinet, iniectiones eius solutionis adhiberi, optimum habeo, cum initio quarta pars grani in liquidi cuiusdam unciam recipiatur, quae dosis paullatim usque ad tria grana augetur. Praeterea sunt commendanda: uva ursi (fol. uvae urs. ℥II coq. c. aq. comm. ℥XXIV Colat. ℥XVI adde: tinct. aromat. ʒI, sacchari alb. ℥β S. intra horas viginti quatuor consumenda); tum sumitates millefolii (praescribuntur species ad theam e sumitat. millefol. ℥I, fol. salviae ℥β cort. cinnam ʒI) Morgagni continuum usum decocti herb. saponar, recent. et infus. vinos radic. sarsaparillae laudavit (epist. XLVII N. 25).

Quod ad externam leucorrhoae curam attinet, primum lotiones genitalium et balnea localia magnopere sunt commendanda. Neque minus utile cutis frictiones panno laneo tenuiore, qui vaporibus aromaticis est infectus, adhibentur. Balnea tepida, praecipue ferrea quae non negligantur, digna sunt. Si ullo modo fieri potest, sensim sensimque ad subfrigida, tandem ad frigida balnea transeatur. Iniectiones adhibituris forte decoctum cortic. quercus vel si fieri potest aqua calcis, saepe omnibus aliis rebus sunt praeponenda. In vehementi membranae mucosae irritatione decoct. althaeae dignum est, quod respiciatur, cui aliquid tincturae opii ad-

iungi potest (drach. un. ad unc. XXIV). Fordyce in pertinacissimis casibus Calomel cum aqua calcis coniungebat (hydrargyri mur. mit ʒI aq. calc. viv., aq. font. aa ℥II Gumm. arab. ʒI Samml. auserles. Abhdl. tom. XI. P. 463). Si secretio permale olet, liquor chloratus vel calcaria chlorata vel semibalnea aromatica commendanda sunt. Fac curas, ut quotidie evacuatio intestinorum adsit, quod certissime clysmatibus simplicibus efficitur. Denique ut in tractatione discrimen, quod inter leucorrhoeam vaginalem et leucorrhoeam uterinam intercedit, respiciatur, Naumann ferrum iodatum vel tincturam iodi ante ponit argento nitrico et aliis remediis salis, cum primum leucorrhoeam uterinam adesse constat. Habemus enim his in iodi praeparatis remedia, quibus certe sanari potest, ut graves casus timere opus non sit, qui in remediis acribus saepe vitari non possunt. Muco orificium forte oblinenti remoto, tinctura iodi penicillo pictorio adhibetur, qui si sine magno periculo fieri potest, in canalem uteri cervicis promoveatur. Penicillus versatur in canaliculo e gummi elastico praeparato, qui deinde retrahatur; canalis uteri cervicis ipse in penicillo retrahendo oblinitur. Praeterea hac in forma leucorrhoeae sooli balnea iodum vel bromum continentia magnopere sunt commendanda (quae balnea sedendo instituenda sint). Ad internum usum adhibeatur chininum tannicum simulque aquae mineralis acidulae.

In leucorrhoea vaginali usus argenti nitrici specificam fere vim habet, praesertim cum ea oppressione mechanica non continuetur. A tenuibus solutionibus initium est faciendum et paullatim ad solutiones fortiores transeundum. In casibus pertinacibus iniectionum e alumine solutionibusque argenti nitrici usus pervices institutus commendari potest. Balsamum aether., balsam. copaivae quater per diem ad decem trigintave guttas cum muco praecipue in magna laxi-

tate et in casibus inveteratissimis leucorrhoeae vaginalis commendantur.

Quod adhuc diaetam attinet, illis iam supra dictis non nisi hoc addo, quod nutrimenta omnino levia et roborantia esse debeant.

VITA.

Natus sum ***Ioannes Wankell,*** Treviris, anno MDCCCXIX: patre ***Andrea***, matre ***Anna Catharina***, e gente ***Schmitt***, quorum hanc abhinc quatuor annos ereptam mihi esse valde doleo, illum superstitem adhuc magnopere gaudeo. Fidem confiteor catholicam. Tredecim annos natus Coloniam me contuli, ubi literarum primordiis imbuerer in Gymnasio Fridericio Guilelmio. Inde testimonio maturitatis instructus autumno anni 1849 Bonnam adii inque civium academicorum numerum receptus sum a vv. cll. ***Blumhe***, illius temporis rectore magnifico et ***Dieringer***, theologorum ordinis Decano. Studiis theologicis et philosophicis me dedi per annum, deque his disciplinis exponentes audivi: vv. cl. ***Dieringer, Clemens, Hilgers, Knoodt, Martin, Scholz, Vogelsang.*** Tum relictis illis studiis albo gratiosi medicorum ordinis a prodecano spect. ***Mayer*** inscriptus sum. Per tres deinceps annos et dimidium horum virorum, quorum infra nomina perscripsi, scholis tam physicis, quam medicis interfui: ***G. Bischof, Knoodt, Noeggerath, Pluecker, Treviranus, Troschel, Albers, Budge, Hoppe, Kilian, Mayer, Naumann, Schauenburg, M. I. Weber, C. O. Weber, Wutzer.***

Quibus omnibus viris illustrissimis, maxime de me meritis, pio animo maximas, quas possum, ago gratias easque persolvere nunquam desinam.

Per annum et decem menses Coloniae Agrippinae in legione tricessima regia borusica stipendia meritus sum.

THESES.

I. Incipienti pneumonia rhonchus crepitans eius praesentiam confirmat; quae non negatur absentia crepitationis

II. Medico obstetricio matris non pluris, quam infantis vita aestimanda est.

III. In ulceribus curandis maxime est respiciendum ad dyscrasiam.

IV. Carcinomatis medendi culter est optimum remedium.

V. Syphilis non inveterata sine mercurio semper sananda.